



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructorii Conscientiæ R. P. F. Lvdovici Lopez Ordinis Prædicatorvm ...**

In qua reliquæ materiæ quæ ad Instructionem Conscientiæ pertinent ex  
Orthodoxis Ecclesiæ iudiciis & scholasticorum Theologorum, tum  
Iurisconsultorum resolutionibus scitu perutiles latè & copiosè disputantur

**López, Luys**

**Lvgdvni, 1588**

An pagæ acerbæ sint licitæ vbilate disseritur hæc materia, & vbi non  
solum impugnari, sed & expugnari videtur sententia affirmatiua, & vbi  
agitur de quodam contractu inito ab Imperatore Carolo quinto ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41259**

bitum, si sit securum: pro mille & iuste quidem potest dare & velle dare creditor. Vnde iam mentem legis minus adducta à Navarro interpretati sumus, quia non militat eius sensus contra nos.

¶ Ad vltimum argumentum dicitur, quod quando nõ venditur debitum, sed ius ad debitum, taliter quod periculum recuperandi debitum, emptori relinquitur: quia venditor de hoc securitatem præstare renuit, tunc merito pro tali iure, vt pote periculoso minus soluitur, quia minus valet, sed nos loquimur vbi debitum, & ius ad illud est omnino liquidum, certum, securum, facillimumque recuperatum: tunc non magis valet debitum, quam ius ad illud. Sed dato oppositum esset verum, secundo dicimus, quod in casu de quo agimus nihil concluderet quia debitor debiti ad annum tenetur ius huius debiti facere certum, quia tenetur certo soluerè, ergo non potest hoc ius soluendi quod ipse tenetur facere certum minoris reddere anticipate soluendo. Hinc sequitur quod male Armilla, \* cum nostram veram tenuerit sententiam statim oppositum tenendo, eam mutauit, rationes has nostras parum ponderans, sed existimo, qui exacte eas ponderauerit, nisi proteruire velit, nostræ sententiæ promissus subscribet.

k Armilla  
verbo, vsu  
ra. §. 13. j.  
35.

¶ An page acerbe sint licite vbi late differitur hæc materia, & vbi non solum impugnari, sed & expugnari videtur sententiæ affirmatiua, & vbi agitur de quodam contractu inito ab Imperatore Carolo quinto an liceat talis contractus.

CAP. LVIII.

¶ Quoniam in præcedenti disputatione valde sumus immorati, & non immerito: sed vt detegeremus contractus in quos aliquis minus cautus posset impingere, iam nunc ad reliquas materias disceptandas progrediamur, primo ab illa quæstione quasi præcedenti annexa inchoando, de pagis acerbis an sint licite. ¶ Igitur de pagis, & scriptis respectu locorum Genuæ vel aliorum banchorum, an licite & sine vsura possint emi hic quaeritur, exempli gratia, Petrus habet scriptum, vel chirographum, quo hinc ad annum recipere potest centum aureos  
II. Pars. F.L. Lopez Instr. Conf. z super

super tali banchó : & quia nunc indiget pecunia pro suis negotiis vendit Antonio tale ius, scilicet posse recipere dictos centum aureos pro nonaginta presentibus. Similiter de pagis Genuensibus eadem est quaestio Ioanni qui hinc ad annos quatuor debet recipere in locis Genae mille ducatos, qui nunc sunt acerbi, id est non manent vendit Petro pro 900. soluendis nunc. An ij contractus sint liciti & quidem Armilla, verbo, Vsuras. quinquagesimo, eos proponens, eos iustificat dicens quod quavis multas quaestiones circa hoc faciant doctores, tamen hæc est vltima determinatio quod tales contractus sunt liciti & licitos esse probare nititur. Primò autoritate pontificiâ, quia inquit Calixtus Papa, & Sixtus quatuor huiusmodi contractus concesserunt, quod non fecissent si fuisset usura sic contrahere. ¶ Secundò probat ex consuetudine facta ab ecclesia & tolerata. ¶ Tertio probatur, ut ratione periculorum, quia potest interuenire aliquod periculû in huiusmodi debita acerba recuperâdo. ¶ Quarto ratione acerbitatis, quia pecunia acerba non tantum valet quantum matura, & quia non tantum valet pecunia futura quantum presentis, quoniam presentis potest expendi, non autem futura. ¶ Quinto quia in huiusmodi contractibus non venditur pecunia, seu paga ut clarum est, quia venditor in his contractibus non tenetur assignare emptori pecuniam, vel pagam: sed tantum ius, vel chirographum quæ minus valet, ergo minoris possunt emi: quam sit quantitas istorum debitorum acerborum. ¶ Sexto quia in his contractibus non interuenit mutuum ergo non interuenit in eis usura, illatio est nota, & antecedens patet, quia in mutuo aliquid manet restituendum, scilicet mutuatâ fors, & hic nihil manet restituendum, ergo non est mutuum. ¶ Septimò quia est vera emptio, quia periculû iuris chirographi empti apud emptorem manet, ergo non est mutuatio ubi possit interuenire usura. Hæc sunt argumenta neque vilipendenda: quibus Armilla suam fulcit

<sup>a</sup> *Navar.* sententiam. Eandem tenetur *Navar.*

*Sum. Lat.* ¶ Dico ergo, quaestio hæc non modicum nobis faceret negotium nisi aliqua fundamenta, & principia quibus ista fulcitur sententia affirmatiua debilitassemus. Primò ergo: antequam pro captu nostro quid nobis in hac quaestio-

quæstione videatur verius resoluamus, dicimus quod  
elto propter argumenta hic proposita sententia hæc pro-  
baretur, tamen non ideo probandam esse censemus sen-  
tentiam Nauarri quam quæstione superiori refutamur,  
scilicet quod ipsimet debitori liceat à se debitum mino-  
ris anticipata solutione redimere, quia hoc negat Cai-  
tanus, cum in quæstione hac de pagis acerbis cum Nauar.  
& cum Armilla tenuerit, quia adhuc diuersa est, vt præ-  
diximus ratio quia iste debitor tale ius, & chirogra-  
phum certum facere tenetur.

¶ Igitur pro decisione quæstionis sit prima conclusio.  
Si debitum pecuniarium dicatur acerbum, quia est peri-  
culosum recuperatu, vel litigiosum, vel parum certum,  
& liquidum, in hoc omnes conuenimus, scilicet quod  
possit minori pretio iusto tamen emi anticipata solutio-  
ne. Hæc conclusio est Soti, & Fratris Ioannis de la Peña  
quia iura, & debita in futurum recuperanda cum istis pe-  
niculis, & malis conditionibus affecta minus valent.

¶ Secunda conclusio, ista iura vel debita in futurum  
soluenda etiam liquida & secuta minoris possunt emi  
à mercatoribus: qui rogantur ea emere, quando parati  
erant suam pecuniam, quam anticipatè pro eis soluunt,  
occupare licitis negotiationibus vbi plus, aut tantumdem  
luctaretur, quam minus quod soluunt pro chirographo.  
Hæc conclusio patet, quia tunc seruatis conditionibus  
omnibus lucri cessantis probabile est, quod ratione lucri  
cessantis: vel damni emergentis possit ea iura minoris  
empor ad instantiam partis indigentis tali pecunia eme-  
re anticipata pecunia. Hæc conclusio videtur Metinæ.<sup>b</sup>

¶ Tertia conclusio, vbi debita sunt liquida, secuta, certa,  
quæ in futurum sunt recuperanda absque ratione damni  
emergentis, aut lucri cessantis in mercatore, rogatus  
ea emere ab indigente pecunia non potest anticipata so-  
lutione minoris ea emere. Hæc est Soti in de iustitia &  
iure. Hæc ratione Merina Salmanticensis<sup>c</sup> ait quod non  
licet census & iura ab antiquo imposita quorum iustum  
pretium fuit ad quatuordecim pro mille iuxta pragma-  
ticam emere minoris: nisi sint iura difficilia recuperatu,  
quo ad pensiones annales.

¶ Quarta conclusio inter mercatores Genuenses in  
quorum

<sup>b</sup> Metina  
in codice  
de restit. q.  
38. ad fin.

<sup>c</sup> Metin.  
Salm. In-  
struct. fol.  
146. pag.  
2.



quorum manibus sua pecunia semper est in potentia ad negotiandum, forsitan si absit mens corrupta, malaque intentio, & attendantur omnes conditiones iustificantes lucrum cessans, ratione lucri cessantis possunt hæc iura etiam liquida, & certa & secuta minoris emere, arbitrio boni viri pensato ex vna parte debita, si sunt periculosa, aut si sunt secuta faciliaque recuperata, pensato saltem lucro quod ex pecunia quam habebant destinata negotiationi proueniret ex qua verisimiliter illud minus quod pro chirographis soluit lucrarentur: & forte salua censura Romanæ Ecclesiæ: hæc ratione Calixtus, & Sixtus quartus illos contractus concesserunt, & non absolute.

¶ Quinta conclusio regulariter illarum emptiones pagarum acerbarum factæ iusto pretio arbitrio boni viri ratio, sed minori quam sit quantitas in posterum recuperanda, sunt licitæ, si hac conditione fiat ut emptor subeat periculum recuperandi si debitor talis chirographi, vel iuris exciderit, vel fidei fractor exiterit vel lite se defenderit, quia solum sibi actionem ad recuperandum illa vendit creditor & nihil amplius dixi quod regulariter in hoc casu sunt licitæ, quia regulariter instant, vel circumstant hæc pericula chirographa hæc, & iura: sed & in hoc casu, & in priori quartæ conclusionis prædicti pontifices hos casus concesserunt: & in his casibus, quia regulares sunt & consuetudo eos tolerat.

¶ At his non obstantibus salua censura ecclesiæ & potentium docere nostra sententia est vera quæ est prædiximus Soti, & Fratris Ioannis de la Peña, quod in casu particulari, vel particularibus casibus, ubi omnia excusantia cessarent, quia debita sunt certa, liquida, secuta, sine expensis, & labore recuperabilia faciliaque recuperata & citra omne periculum & veluti iam in manu: non licet ea anticipata pecunia emere minoris quam in se sint, secluso lucro cessante quia nulla subest ratio excusandi talem emptionem & præter rationes ante adductas probatur clare, quia non licet minoris emere merces certo tradendas quam ipse tempore traditionis valent, sed per Armillam qui emit debita illa iura & chirographa ad illa recuperanda, emit ea veluti merces. At ista iura si sint certa & secuta, pro tempore recuperationis valent, verbi gratia.

ria, mille, ergo non licet anticipata solutione minus quam mille pro eis dare, sicut merces quia tempore traditionis pro eis inveniuntur mille, non licet pro eis anticipatè soluendo dare minus quam mille.

¶ At negare quod ius ad mille recuperanda tempore recuperationis, si sit certum, & securum recuperatu non valeat mille, est præter omnium opinionem loqui, quia sicut merces valent mille quâdo tempore traditionis earum pro eis inveniuntur mille, ita illud ius recuperandi mille postquam tempore solutionis, quia est securum, est veluti merces pro qua solvuntur mille, sequitur quòd valet mille, neque valet dici quod qui emit illud ius est veluti qui emit granum in semine, & in potentia quod minus valet, quia non est ita, quia granum in semine & in potentia multis subiacet periculis, & laboribus, & multipliciter potest impediri. At debitum, & ius ad illud ut supponimus est certum, securum, moraliter non impedibile: quia debitor illius est valde diues, & timorata conscientia, qui statim accedente termino solutionis se offeret ad soluendum illud cum benedictione domini. Concludamus ergo quod in hoc casu securior & longè verior est nostra sententia quam Armilla & Navar.

¶ Igitur ad argumenta dicimus, quod iam ad priora et autoritate pontificum & consuetudinis tolerata respondimus quomodo, & in quibus casibus autoritas pontificum, & consuetudo eos contractus toleret, & possit tolerare præter quam in isto casu. ¶ Ad reliqua argumenta iam responsum est quod ratione periculi, aut lucri cessantis possint tales contractus tolerari, sed non ratione fundamenti allati, scilicet quia pecunia presens ex se vel semper valeat magis quam futura quia hoc est falsum.

¶ Ad aliud argumentum responderetur, quòd licet concedamus, quòd venditur tantum ius, & chirographum, negatur quòd istud ius ex se minus valeat, nisi sit periculolum aut nisi interueniant alia circumstantia. ¶ Ad aliud argumentum penultimum negatur, quòd ibi non interueniat mutuum virtuale, quia pro illo pretio anticipato veluti pro mutuo dato, recuperatur debitum in quo ultra sortè recipitur aliquid, & sicut emens merces anticipata solutione statim acquirit ius ad eas suo tempore recuperandas

sic iste statim acquirit ius ad debita suo tempore recuperanda, quare sicut ille non potest anticipare minus solvere pro mercibus aut pro iure recuperandi eas, ita iste non potest minus anticipare soluere pro debito sibi in futurum soluendo, cum est omnino securum, aut pro chirographo id est iure recuperandi illud.

¶ Ad vltimum argumentum dico quod voce tenuis, & in forma est venditio sed est cū virtuali mutuo ratione cuius recuperat plusquā anticipatē soluit, ideo est palliatū vsura, sicut etiā emptio mercium minori pretio anticipata solutione, in forma est emptio sed implicite est ibi mutui ratione cuius exoluitur aliquid vltra fortē, & hæc sunt dicta non animo impugnandi Nauar. virum alioquin eruditissimum & mihi gratissimum & de tota Christiana re publica tam bene meritum. Sed causa erūendi, & patefaciendi veritatem alioquin de se manifestam: sed quibusdam fucatis argumentis offuscata in hac parte.

Qō. i. ¶ In dubium quoque reuocari hic potest contractus ille, quem imperator Carolus quintus oppressus egestate bellorū solitus fuit inire cū ex Indiis regionibus alportibus gazas, quas sibi pro necessitatibus bellorū eis inuisit tollebat, cōstituebatque illis annuos redditus super gabellarum sibi debitarū iuribus in recompensationem pecunie ablatae, an sit contractus licitus. Et sic de cōmunitate indigente pecuniis an possit cogere ciues ad præstandam cōmunitati constituendo illis in recompensationem annuum redditum ex veris redditibus cōmunitatis.

¶ Dico igitur ad hunc contractum, quod tanta potest esse necessitas publica cui aliunde non possit opportune subueniri, quod poterit cōmunitas, aut eius vices gerere rex, aut imperator, vt minus grauentur ciues, & necessitati præsentis præsentia ea adhibeatur subuentio cogere ciues ad præstandum cōmunitati, & sic etiam ciues dantes pecunias possunt habere annuum censum, sicut poterunt habere, qui ex gazis bene acquisitis in Indiis regionibus sibi ablati ab imperatore Carolo in recompensationem acceperunt ab ipso, super vectigalibus annuos redditus, dixi si bene fuerit parta tales gazæ, quia increbruit fama imo experientia est testis: quod multi aliorum inuite eas acquirere, quod autem tales contractus liciti

hieri sinit patet. Quia hic est emptio census, & non mutuum, quia eam præstantes pecuniam communitati, aut imperatori, non possunt eam revocare, quâdo volunt: neque periculum pecuniæ est penes eos qui dant sed penes imperatorem, vel communitatem recipientes: periculum vero census est penes ciues dâtes pecuniam, & dominum possessionis hypotheticæ secundum aliquos doctores: similiter igitur usuræ labe carent tales contractus.

¶ Sed quid si communitas accipens pecuniam suorum civium ad censum talia iura vectigalium nō haberet, sed sicut & in aëre, An talis contractus esset licitus si super his sicutis iuribus non stantibus censum consignaret. Hic casus est dubius ut ait Armilla verbo usura §. 52. Sed ego dico post ex extrauagantem Pij quinti damnantis census personales, & super nullam veram hypothecam cōstitutos plane contractus esset nullus virtuteque illius non possent tales ciues percipere censuales pensiones, perceptasq; tenerentur restituere, possent tamē agere tunc pro suo interesse, sed de his satis.

¶ De celebri quæstione montis pietatis tantopere inter doctores ventu aia, & an liceat dominis quia subministrant pecuniam, aut granum suis colonis eos obligare ad pretio antiquo conducendos agros.

C A P. L I X.

PORRO iam illa celeberrima quæstio & inter quæstio. Q6. i:  
nes ad materiam usuræ pertinentes tantopere inter doctores ventilata de montibus pietatis nuncupatis se offert vbi quis pius homo cōgerit magnam vim, aut copiam frumenti, aut pecuniam pro pauperibus illius civitatis, aut oppidi indigentibus, an possit non ratione mutui, sed quia adhibet diligentiam ad illum sustentandum montem frumenti, & pecuniæ qui sine expensis nequit sustentari, & quia in eo præficit officiales ad conservandū montem ad mutuandum indigentibus & petentibus mutuum, & ad recipienda pignora, & chirographa, accipere aliquid ultra sortem mutuatam, & videtur quod nullatenus liceat, quia nullus mutuator se offerens ad mutuandū reipublicæ ratione huius, quia laborat in mutuando, & officiales ad mutuandū præficit potest aliquid accipere, quia cū